

PRIMA PARS DE INTERCAPEDINE IN
De differentia locorum, tam longitudinum quàm latitudinum
& earum extractione.



Via cum in sequentibus, cum de distantijs locorum tractabitur, crebrius mentio fiet de differentiâ tam longitudinum quàm latitudinum duorū locorum, de eadē differentia hoc loco determinare conueniens uidetur, antequā ad propositū descendatur. Est enim differentia longitudinum duorum locorum in superficie terrestri, arcus magni circuli, inter duos eorundem locorū meridianos super illorū uertices transeuntis, interceptus, sub quo scilicet uiatores suum conficiunt iter. Differentia uero latitudinum duorū locorum in eadem terrestri superficie, est arcus circuli magni inter duos eorundem locorum parallelos interiaccens. Extrahitur autem differentia tam longitudinum quàm latitudinum locorum, per subtractionem minoris longitudinis uel latitudinis loci alicuius à maiori longitudine siue latitudine alterius loci. Vt exempli causa, Roma urbs Italiae habet gradus longitudinis (si Ptolemæo credimus) 36. minuta 40. Norimberga uero si Segodunum ad coniecturam tabularum Ptolemæi creditur, habet gradus longitudinis 31. minuta 30, hac igitur longitudine minori subducta à longitudine maiori gradibus scilicet 36. minutis 40. quos Roma habet, remanebit differentia longitudinum dictorum locorum graduum .5. minutorum 10. Aliud exemplum de differentia latitudinum. Roma habet gradus latitudinis 41. min. 40. Norimberga autem gra. 49. mi. 0. Subtracta latitudine minori, quæ in maiori parallelorum continetur scilicet 41. gradibus & 40. minut. à latitudine maiori quæ in minori parallelo reperitur gra. 49. scilicet, remanebit differentia latitudinum duorum dictorū locorum graduum 7. minu. 20. Si autem duo loca in terrestri superficie latitudines haberent de nominatione diuersas ab æquatore, quorum unus scilicet ad boream, alter uero ad austrum ponatur, adde eorum latitudines in gradibus & minutis, quodlibet suo generi, gradus gradibus, minuta minutis &c. tale enim collectum erit differentia latitudinum eorum locorum quorum diuersam latitudinem addidisti. Exemplum Norimberga tenet gradus latitudinis 40. boreales, quia est sita ab æquatore uersus boream. Raptum promontorium Æthiopiæ interioris, habet gradus latitudinis 8. minuta 25. australes, quia ponitur ab æquatore ad austrum. Adde gradus gradibus, minuta minutis, & colliges gradus 57. minuta 25. differentiam latitudinum dictorū locorum. Loca autem quæ in terrestri superficie sita sunt, & quorum differentiam tam longitudinum quàm latitudinum in præsentiarum quærimus, differre uidemus tripliciter. Nam quædam differunt solum latitudine, quædam solum longitudine, quædam latitudine & longitudine simul. Nam aliquo istorum modorum ea differre certum est, prout etiam in sequentibus clarius patebit.

Distantiam itinerariam duorum locorum latitudine tantummodo
differentium, uia Arithmetica explorare.



Stud potest expediri absq; tabulis, isto modo: Subduc minorem latitudinem de maiori, & residuabis differentiam, quam si per 15. multiplicaueris miliaria germanica communia produces. Eandem uero ducendo in 12, Sueuica quoq; miliaria se offerent. At sit tandem Ptholemaica miliaria, siue sexagenarię te delectant, eandem differentiam sexagenario numero multiplicando, ea cognosces. At si dicte differentię latitudinū gradibus minuta aliqua adhaeserint, ea per 4. partire, & exhibit numerus miliariorum Germanicorum prioribus addendorū. Quo habito, facile erit reliqua miliaria Sueuica uidelicet uel Italica, uel etiam Ptholemaica, horum respectu dinumerare.

Exemplum